

per id tempus erat, quibus tam proximo loco agentibus apparebat, Patavinæ urbis statum eum, qui tum esset, haud diutius futurum: idque eo propius fidei mihi videtur esse, quod ille non multo post Patavio profecturus præstantissimum quenque civium per speciem militiæ procul urbe ablegavit. Genuenses per hæc tempora ex fœdere a Venetis petiere, ut classem sibi quamprimum in auxilium mitterent: significantes rescivisse se, Pisanos suis Fœdericique opibus fretos supra centum in se triremes instruxisse: nec rem ullam pati dilationem dicere: pro comperto se habere, hostem non multo post affuturum, cum quo sine sociorum classe dimicatum nolent. Veneti, triremibus sexaginta instructis, Andream Tepulum (hunc quoque Ducis filium fuisse reperio) triremibus præfectum confestim opem fociis ferre jubent. Is prima velificatione Polam delatus, urbem ipsam, quia suam triremem non dedisset, imperata pecunia, & muro aliqua ex parte diruto, multavit. Prospæra inde usus navigatione Dyrachium venit, quo allatum est, Fœderici Pisanorumque classem circa Cyrnum insulam a Genuensibus superatam. Eo nuncio accepto, Andreas Polam retro cursum convertit. Cognoverat enim, post suum inde digressum a Venetis defecisse: subitoque accessu recepit, receptam diripuit, direptam incendio vastavit.

1239

1242

*Genuenses
Fœderici &
Ecelini clas-
sem circa
Cyrnum in-
genti prælio
superant.*

Jadera quoque, ne civitas quandoque in ocio esset, & ipsa non multo postquam classis domum reducta fuerat, quinto a Veneto imperio defecit, Joanne Michaelæ, qui tum urbi præerat, ejecto. Validissima classis ad eam recipiendam confestim decernitur: quinque & quadraginta naves instructæ, quarum vigintiquinque longæ, reliquæ onerariæ fuere. Rainerius Zenus classi præfectus est. Trajectis in Dalmatiam copiis, civitas totiens rebellis obsidione cingitur, duobus mensibus urbs oppugnata, demum post multos conatus, victa eorum pertinacia, Jaderenses deditionem fecere: quibus receptis, placuit legatos ad Pannoniæ Regem mitti. Stephanus Justinianus, & Petrus Dandulus missi, cum Bela, ut quidam tradunt, Rege egerunt, ut jus omne quod ille & alii Reges in ea urbe sibi vendicassent, Veneto nomini remitteret; quod

*Jadera
quinto a
Venetis de-
fecit.*